



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Modi LX Sacræ Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**

Modus Quartus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](#)

pacti, donec Societas Jesu in mundo compareret: quæ, excitatis, illis ipsis diebus, singularibus pietatis exercitiis, ac propositis indulgentiis, Diabolo suam portionem eriperet. At quod laudi Societatis tribuitur, libenter aliis, excommuni genio, concessero. Illud verissimum est, planè hos dies, Deo, per homines eripi, & Dæmoni vendicari. Alias itur: hîc ruitur ad infernum. Placet etiam præcipitari à sociis familiaribus, vicinis, etiam ignotis. O si oculi nostri aperirentur! O si pericula salutis clarè paterent! pluribus nos profectò hostibus circumdatos videremus, quam advertere Syri, percussi ab Eliseo cœcitate, 4. Reg. 6. & in medium Samariam inducti. Domine ut videam! & ut videamus in bonitate electorum tuorum: ad latandum in letitia gentis tuae, Psal. 105, 15.



## MODUS QVARTVS.

**S**ecundùm unum tantum, ex prædictis sensum, sententia explicatur: sed ipse sensus geminatur, aut multiplicatur: vel moralem sensum, ad diversam circa mores instructionem, referendo: vel Allegoriam, ad diversa fidei documenta, & sic de aliis. E.g. dicturus Dominica 4. post Epiphaniam, inquirere posses: Cur ascende[n]te Jesu in naviculam, motus sit permis[us] in mari. Julius Cæsar, nauclero inter fluctus trepido, Ne, inquit, timeas, Cæsar[is] fortunam vehis. Nec navi, in qua Christus melius conveniebat, & ecce motus factus est in mari,

*ri, Matth. 8. Dat causam Allegoricam D. Hier. in glosl. Strab. Qui magna fecit in terra, transit ad mare, ut & ibi faciat, & Dominus maris ac terræ apparet. Dari etiam altera posset, factum id; ut doceret, nec in ecclesiæ navi, nec in rebus publicis, nec in homine signum esse absentiæ divinæ: si fluctuare & turbari permittatur. Jud. 6. ait Angelus ad Gedeon: Dominus tecum virorum fortissime. Dixitq; ei Gedeon: Obsecro mi Domine, si Dominus est nobiscum, cur apprehenderunt nos hæc mala omnia? Cui Angelus propositum persequens: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israël. Ecce turbatio, & tamen Dominus præsens. Plures sensus facilè quærenti occurrent.*

P R A X I S

## Dominica secunda Adventus.

*Ceci vident, claudi ambulant, Matth. 4.*

**A**cceſſus & Propoſitio. Magnæ Joannis legatio-  
ni gravissima Christi data est responſio, idq  
rerum, & miraculorum. Euntes, inquit, dicite jo-  
anni, cœci vident, claudi ambulant. At non hoc  
videtur quæſitum, verum illud: *Tu es qui venturus  
es?* Latet hīc, procul dubio, mysterium, quod jam  
expendemus.


# Confirmatio per sensum geminum Moralem.

*Sensus primus Moralis.* Nullo judicio hominem melius agnoveris, quam ex operibus. Ne crede titulis, ne crede nominibus: laryæ sunt, umbræ

sunt, & præter verba, nihil sæpe solidi habent.  
Tertull. cap. 4. de exhort. Casti: tribuit operibus  
Prophetia efficaciam. Prophetia duo potissimum  
habet: alterum, quod occulta enunciet: alterum,  
quod sine falsitate enunciet. Tales sunt Prophetiæ  
operum. Celent se lupi sub pellibus ovium; igno-  
biles animæ sub serico Patritiorum; dejectæ men-  
tes sub purpura Principum. Opera interroga, &  
pandent dolos, atque rem sincerè edifferent. D.  
Hieronymo somnianti, persona gravis flagello ar-  
mata apparuisse perhibetur, ac inde quæsivisse quis  
esset? Cum ille affirmasset: se Christianum esse.  
Ciceronianus magis es, inquit, quam Christianus (quod ætate florida lectioni ejus majori dili-  
gentia incumberet) atque ideo tot plagis tamque  
gravibus affecisse, ut evigilans magno sibi cum  
sensu à Cicerone, ad stylum & lectionem, Chri-  
stiano dignorem, se referret. O quot sunt, qui  
si nunc interrogentur: Tu quis es? respondebunt,  
Christiani sumus. At interroga opera eorum, &  
audies dici: Hic totus Bacchus est; ille Epicurus;  
ille Machiavellus. De his D. Augustin. serm. 50.  
*Multi postes habent signatos (scilicet cruce) & in-*  
*tus non manet habitator. Facile habent in fronte si-*  
*gnum Christi, sed non recipiunt in corde verbum*  
*Christi. Unde & eosdem alloquens cap. 6. in Joan.*  
*Non audio quid sonet, sed video quid vivat. Opera*  
*loquuntur, & verba requirimus? Quis malus, non*  
*bene vult loqui? Opera, hominem quis sit, opti-*  
*mè indicant: atque ideo operibus Christus Joan-*  
*anni respondet, ut jam de ingratis Judæis, Joan-*  
*nes*

nes inferret, quod deinde ipse Servator asseruit Joan. 15, 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

*Secundus Moralis sensus.* Neque id solùm nos Dominus docere voluit, verum ingens & excellentissimum persuadendi artificium, Concionatoribus, & Magistris, exemplo tradidit: quod est, doctrinam probare factis, & præcepta firmare vi-tâ, scilicet, verba habent suadelam, inquit Clem. Alexandr. exempla violentiam, nec tam videntur suadere, quam cogere, 2. Stromat. II. & Joan. 5. clamat Servator: *Opera quæ ego facio, testimonium per-hibent de me*, & Joan. 10. Operibus credite, & ejus-dem 14. propter opera ipsa credite. *Magnam igitur injuriam facit magistro*, qui se discipulum fatetur ejus, cuius non sequitur institutum, ait Chrysost. serm. 94. qui verbis predicat, & opera non curat, qui una manu ædificat, & altera subruit. *Quid adeò si-mile?* loquitur ironicè Tertull. in Apollog. c. 46. *Philosophus, & Christianus? Græciae discipulus, & cœli? famæ negotiator, & vita? verborum & facto-rum operator? rerum operator, & destructor veri-tatis? interpolator & integrator, furator ejus & cu-stos?* Multi tamen his similes evadunt, qui non satis meminerunt, vivam eruditionem ad mortuam ad-jungi oportere. Isid. lib. I. epist. 396.



## MODUS QVINTUS.

**S**Ententiæ assumptæ diversæ lectiones adferun-tur. V. g. Vulgata, Septuaginta, Hæbreæ, & se-